

*Quid illis egeris, quibus honoribus, non modo ob nominis amplitudinem, ac in rebus omnibus Munificentiam, sed etiam ob Catholicæ Religionis Zelum, Linguarum Peritiam, Animi Magnitudinem, ac reliquarum Virtutum Claritatem Te omnes fuerint prosequuti quid referam? Te Apostolicum Nuncium apud electum Cæsarem Carolum VII: Idem Sapientissimus Pontifex confirmavit; Te vix trigesimum quintum annum egressum sacra purpura decoravit; Tibique amplissimum Suae Patriæ Regimen commendavit; neque alia de causa post decem annos inde adduxit, nisi ut probata Tua Virtus, & sedula cogitationes tuæ, quæ in unius Provinciæ commodum conferebantur, ad communem omnium utilitatem converterentur. Itaque Boni Regiminis Congregationi providentissimè Te præfecit; quo in munere qualem Te exhibeas cum omnibus satis superque compertum sit, silentio præteream. Illud tamen tacere nullo modo possum, cum tot, ac tantis distentus sis occupationibus, atque omnibus Te facilem exhibeas, aliorumque curas suscipias veluti proprias; Animum a studiis nunquam avertas: Quod Tibi est vacuum temporis in lectione elegantium librorum impendas: literarios conventus li-*